

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Iuuentus e
cum fonte primo

Sicut fructus non inuenitur in arbore in qua flos prius non apparuit, sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit qui in adolescencia discipline alicuius exercitatione non laborauerit. Disciplina igitur absque oboedientia qualiter fieri poterit? Adolescens ergo sine oboedientia, adolescens sine disciplina est.

Cyprianus ibidem (de duodecim abusiuis).

sicut ergo fructus non inuenitur in arbore in qua pampinus aut flos prius non apparuerit, sic et in senectute honorem legitimum consequi non poterit qui in adulescentia disciplinae alicuius exercitationibus non laborauerit. disciplina igitur absque oboedientia qualiter fieri potest? adolescens ergo sine oboedientia adolescens sine disciplina est:

quoniam et ipsa oboedientia quae omnium disciplinarum mater est magna exercitatione indiget, ut sui normam studii in Christo Domino exhibeat qui oboediens patri usque ad mortem crucis ignominiam libenter sustinuit.

Pseudo-Cyprianus Carthaginensis, *De duodecim abusiuis saeculi*, 3 (CSEL 3.3, W. Hartel ed., p.156, ll.5-13).